



00
Kr

2947
Am



35
Auspicio summi Archiatri,

Indultu & Autoritate

GRATIOSISSIMI in hac ILLUSTRIS ACADEMIA
MEDICORUM ORDINIS
PRÆSIDE

VIR O CLARISSIMO atque EXPERIENTISSIMO
D N.

JOHANNES GERHARDO
WINTHER,

Philos. & Medicinæ Doctore, Hujusque & Physices
Professore Ordinario, h. t. RECTORE Academiae, & Facultatis
Medicæ DECANO Spectatissimo.

Præceptore atque Promotore suo atatem venerando.

H A N C

De Admirando illo Affectu

CATALEPSI,

Dissertationem Inauguralem
MEDICAM

PRO SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS & PRIVILEGIIS DOCTORA-
LIBUS RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS

Publicæ

Amplissimi Senatus ACADEMICI aliorumque

Eruditorum disquisitioni subjicit


IN AUDITORIO MAJORI.

Die 11. Novembr. horis ante & pomeridianis Anni 1692.

JOHANNES RÖSER,
Smalcaldensis Hassus.

••••• RINTHELII, Typis GODOFREDI CASPARI Wächters/ Acad. Typogr.

DEO
ET
PROXIMO.



T H E S. I.



Omnium mortalium sapientissimus
 & naturæ curiosissimus Rex Salomo *Ecclesiast.*
cap. XII. & ultimo sermone inculcans resipiscen-
 tiam non seram dicendo: *Recordare creatoris*
tui diebus iuventutis tuae, antequam adveniant dies
mali, id est, Senectus, quo tempore *obtenebrescet sol, & lux,*
lunaque & stella, id est, cerebrum, spiritus animales, sensoria
 omnia cum functionibus suis, & *commovebuntur custodes illi*
domus, id est, brachia, & *pervertent se se valentes robore*, id est,
 crura, & *intermittent moltrices illa*, id est dentes, & *obtenebre-*
scant illi, qui spectant per speculas, id est, oculi: antequam *funi-*
culus argenteus incurvetur, id est, spina dorsi cum medulla sua
 & nervis, & *aurea saturaque desinet fluere*, id est, sanguis, &
conteretur hydria, id est, vena cava, *super fontem*, id est cor, &
vota confringetur super cisternam, id est, arteria aorta super cor,
 evidenter asserit corpus nostrum nihil aliud esse quam artifi-
 ciosam MACHINAM. Sepositis igitur ex ratione deductis argu-
 mentis, quod ex indefinitis numero partibus, fluidis, solidis,
 duris, mollibus &c. ita artificiosè & conformiter inter se jun-
 ctis, ut motus inde tam varii resultare possint, conflatum
 sit, nec quælibet pars seorsim considerata sufficiat talibus
 motibus producendis, sed una alij atque alij connexa atque
 unita; firmiter cum Sapientissimo concludimus, corpus no-
 strum esse *Machinam*.

§. I I.

Cùm autem in omni machina se prodat *primum movens*

A 2

G 162




& *ultimum mobile*, atque corpus nostrum, quod non vilis machina à creatura fabrefacta, aut unico saltem actui destinata, sed à Creatore Omnipotente, Artifice summo, variis donata est functionibus, quæ tamen commodè in *vitales* & *animales* dispeſcuntur, quorum *illa* à sanguinis aliorumque humorum fluxu & refluxu seu circulatione, *hæ* à spirituum animalium impetu, tanquam causa principali dependent; duplex pro duplici hac œconomia concipere licet primum movens & ultimum mobile, unum *vite* pro vita corporis conservanda, illud nutriendo, augmentando, uno verbo vegetando, (sine his enim brevi corrueret machina) alterum *animale* motui & sensibus dicatum.

§ III

Vitale statuimus esse cor, memine forsàn contradicente, medium inter ventres occupans locum, ex quo omnibus æqualiter præesse potens mediante sanguine omnes corporis partes calore vitali perfundit, motumque istum quem recepit, in arteriis continuat per tubulosum omnium partium, etiam à cordis antlia diffusissimarum, contextum. Et vicissim si in extrema etiam artuum quadam parte sanguini quædam alteratio contingat notabilis à causa externa, v. gr. veneno, non potest non fieri, quin statim ipsi cordi character ille pro variæ causæ externæ in ipsum agitatione imprimatur. Animale reperio in cerebro, cum ibi sit principium nervorum; ibi spiritus animales generentur aut separentur; ibi quorundam sensoriorum v. g. oculorum duplicia deprehendantur; organa; & motus istorum organorum in unam ideam coëant; ibi diversitas motuum observetur, cum alius ab aëre per aures, alius à corpore luminoso per oculos, alius ab aliis objectis per reliqua sensoria super communi sensorio, modò validiori, modò debiliori, prout motus iste spirituum validus existit vel debilis, vel aliter modificatus, idea repræsentetur: uno verbo, ibi motus & sensus principium & finis. Sed sicut ad navis directionem non æque facit, ubi ubi clavus appen-

sus.



sus sit, quo ejus motus dirigitur, sic nec hęc ratione automati corporis nostri. Cuinam igitur parti hanc spartam offeremus? quę erit ratione situs convenientior? quę ratione figurę, unitatis, aptior? nulla alia, quàm parva quędam glandula, *pinealis* à figura dicta, pomum pini enim æmulatur vel conum, unde etiam *conarion* ab Anatomicis dicitur. Sed cùm hęc ut clarius pateant, ad scopum nostrum præprimis faciat; quędam ex œconomiis dilucidanda, mentisque essentia, ejusque cum corpore unio perpendenda.

§. I V.

Chylus ex ductu thoracico in venam subclaviam immissus & sanguini quodammodo assimilatus dextram cordis auriculam ejusque ventriculum ingreditur, ex quo per arteriam pulmonalem propulsus in pulmones, nec moram trahens per venam pulmonalem illabitur in sinistram cordis auriculam ejusque ventriculum, ex quo demum in totum corpus distribuitur per arteriam aortam. Habet autem hęc duos ramos insignes, unum ascendentem & in cerebrum usque porrectum, alterum descendentem inferioribus partibus præidentem; sanguis autem rarefactus in corde ob angustiam spatij exitum quærens, qua data porta magna vi ruit: sed cum ex lege naturę prima quęlibet res eò tendat, quò minorem invenit resistantiam, subtilior sanguinis pars, (non omnis, obstante enim angustia crassior inferioribus a descendente dependentibus pabulum est) petit primùm rami ascendentem in progressu in arterias carotides seu soporarias, & postmodum in numero indefinitos & minimos sensim sensimque angustiores variisque anfractibus constantes ramusculos divisum, qui plexus choroidis glandulosi, vel retis mirabilis nomine venit. In cujus glandulis atque angustis sanguis pertinaci motu attenuatus, & ab annexis crassificationibus liberatus, quasi per filtrum colatus, quo nihil purius



& lucidius in toto corpore, *spiritus animalis* dicitur, motum & sensum efficiens.

§. V.

Hic spiritus quamvis sub forma liquoris non appareat ut cæteræ partes fluidæ in corpore nostro, attamen suos canales seu ductus habet angustissimos, quos solus dum pertransire potest, reliquas excludit: Nervos puto, qui sumpto in cerebri ventriculis principio, in corporis extremis partibus finiuntur: Et sicut fila à netrice è colo tracta non sunt simplicia, sed ex tenerrimis filamentis combinata atq; contorta, sic & illi nervorum funes è cerebro tanquam è colo producti ex plurimis fibrillis compositi ad extrema usque eodem situ & ordine continuantur, singulis eorum altera meningum pia, scilicet matre, investitis, seu instar cutellorum in vaginulis repositis; *tubuli* audiunt Anatomicis seu pori vaginulæ istæ, ac in cerebri cavitates hiantes Glandulam è diametro respiciunt, spiritibusque in vigiliæ statu turgidæ tamdiu istum retinent situm, donec à glandulæ pinealis motu dislocentur.

§. VI.

Nam ut motus & sensus fiant necesse est, ut spiritus animales per certos tubulos atque meatus excurrant, quæ excursio placidè & tranquillè fieri nequit, nisi à certa cerebri parte, non secus ac navigiùm à clavi impulsu moderetur, secundùm *Aristotel. lib. de Animal. morione cap. VII.* ipsique spiritus ita determinentur, ut potius hos aperiant poros quàm alios. Cùm itaque prædictus plexus choroides omnium arteriolarum integram cerebri substantiam meningisque perreptantium furculis constet, & glandulam instar aulæi vel subtilissimi retis ambiat, oportet hanc esse in œconomia animali *primum* illud *movens* & *ultimum mobile*, veramque mentis sedem, tot spirituum turmis atque satellitibus ad quemvis ejus nutum obsequia præstandi cupidis, & quæ ipsi nesciunt, menti referentibus undique cinctam.

§. VII.



§. VI I.

Confirmat id *situs*, in medio enim ventriculorum cerebri, (quorum quatuor ratione situs angulorum ab Anatomicis recensentur, etsi ratione communicationis unicus tantum sit) & quidem ut omnium, quorumvis ventriculorum, seu ventriculi in tot angulos divisi spirituum confluxus & concursus fieri possit super ventriculo medullæ nobili in calamum scriptorium à figura & magnitudine sic dictum, desinente suspenso est, quam inter testes *nervos* utrinque firmat *fun culus V Anatom. Barthol. lib 3. cap 6.* ita tamen, ut mobilis sit, & in quamcunque partem ad quosvis tubulos apertos factos inclinabilis, & à spiritibus animalibus instar globulorum in fontibus artificialibus seu salientibus in æquilibrio detentorum erecta servetur. Sed sicut illi à vento levi etiam aliave re externa de loco suo deturbantur, ita & hæc à spirituum radiis ab objecto externo versus eam repulsis inclinatur modo sursum, modo deorsum, modo antrorsum, modo retrorsum, modo dextrorsum, modo sinistrorsum, & sic porro.

§. I I X.

Figuram quod attinet, sphæroidea est, qua recipiendis & dirigendis tot variis motibus nulla potest excogitari aptior.

§. I X.

Porro una, & à nullo Anatomicorum unquam duplex observata est, ut duplicium sensoriorum imagines seu ideæ ab objectis externis in illis excitatæ, receptæ & ad ipsam ceu commune sensorium delatæ in quadam ejus parte seu uno puncto uniantur, ut objectum non duplex, sed simplex appareat & percipiatur. Nec obstat, quod quandoque lapillis, vel saburra onerata, aut planè lapidea inventa fuerit; sufficit enim ut maneat mobilis ac ad determinandos spirituum motus, recipiendasque motuum ideas idonea.
V. Clariss. Dn. Præsidis, Præceptoris atque Promotoris ad cineres usque




usque Colendi Dissert. de Regia mentis in corporis sui machina sede
Tbes. XXII X.

§. X.

Cognita jam mentis sede, essentiam ejus rimemur. Est autem ea nihil aliud quam *cogitatio*, seu consistit in *cogitatione*: machina enim corporis nostri sicut reliqua corpora in extensione consistens omnis intellectus & voluntatis, ad quæ omnis cogitatio pertinet, expers est, sicut vicissim mens omni extensione caret. Cogitatio enim & extensio in infinitum differunt. Illam autem esse primum, radicale & essentialiale mentis attributum exinde colligas, quod, sive quid percipias cogitatione pura, sicut DEum & mentes percipimus, sive impura, sc: mediante corpore per sensationem, idque fiat vel studio, ut si triangulum concipias, vel necessario, si quid sensorijs offeratur invitâ mentem, cum dolor in quadam parte exoritur, sive appetas, averferis, ames, odio habeas, uno verbo, sive intelligas, sive ve'is, cogitas.

§. XI.

Quæ de partibus hominis hætenus proposita sunt, evincunt *unionem* earum, quæ ceu *forma* esse illius constituit, illiq; distingui & operari dat, ex earum rerum classe esse, quas mirari saltem, non explicare intellectui humano datum est: Ipsâ enim res apertè quidem patet, modus verò profundè latet. Quæ per naturam seu essentiam suam omnem connexionem respuunt, hic tamen itâ arctè per mutuuum commercium seu conjugium unita sunt, ut vix ullum arctius vinculum concipi liceat: Quotiescunque enim in partem corporis nostri objectum aliquod externum agit, atque tam vividè eo ipso nervus (qui instar chordæ una extremitate tractus, alterâ in cerebro etiam trahitur) commoyetur, ut inde sequatur tubulorum cerebri apertio, hanc autem spirituum animalium succedat copiosior fluxus versus glandulam pinealem, atque itâ ipsâ inclinetur, & versus tubulos apertos spirituum cursus repetatur, toties occasione hujus impulsus
Glan.



Glandulæ secundum liberrimum ac sapientissimum DEI Omnipotentis institutum, à quo hæc res tota pendet, oritur perceptio certa & conveniens certo nervorum & spirituum motui, quam vocamus sensum. Quoties etiam anima vult, sive aliquid sibi representare, quod ante tubulis impressum, sive novum quid meditari, toties eo ipso momento spiritus ex glandula pineali determinantur versus impressiones in cerebro antea jam factas, vel nova vestigia excudenda; toties etiam relegit quod antè tubulis insculptum erat, vel novas ideas format. Quoties etiam anima vult, ut motus fiat in corpore suo, modo rectè hoc sit conformatum; toties eo ipso instanti glandula inclinatur versus tubulos illos nervorum, qui inserti sunt parti illi corporis, cui motus imperatur; sic ut æquilibrium inter musculos sublato, antagonistarum alter relaxetur & extendatur, alter verò intumescat & contrahatur, dum spiritus per canaliculos à *Nob. des Cartes tr. de Hom. part. 2. art. 20.* detectos in unum confluunt, quo fit, ut os, cui isti annexi sunt muscoli, vel adducatur, vel abducatur, ad motum animale eo ipso momento quo mens vult, excitandum: Cogitandum quippe est sufficere ad animale motum, ut sola spirituum ex Glandula ad quasvis, extremas etiam partes, jugiter radiorum instar promanantium determinatio seu pressio mutetur. *V. Charlet. Oecon. animal. Exercit. XI.*

§. XII.

Hæc de mente, corpore, & utriusque unione proposita in explicatione affectus Catalepticos facem nobis præferent; cum unio prædicta nullo in affectu magis quam in hoc lædatur. Dicitur autem, ut uno verbo ὀνομασιολογίαν absolvam, Catalepsis à verbo καταλαμβάνεσθαι q. e. *prehendi*, unde etiam dicitur *catochus* vel *catoche* à verbo κατέχεσθαι i. e. *detineri* vel *occupari*, ut ità nihil aliud sit, quam *prehensio* vel *occupatio*.

B

§. XIII.



§. XIII.

Cum igitur Catalepsis sit morbus unionem maximè lædens, ex læsis ejus effectis immediatis sensu sc: & motu animali maximè innotescet. Mens enim pro affectus gravitate vel levitate nihil vel parùm percipit, dum mentis imperium in corpus, & vicissim hujus in illam cessat. Hinc nec videt correptus nec audit, nec ullo sensu vel interno, vel externo utitur, ac instar statuæ in eo situ persistit, in quo primo correptionis momento fuit. Sic si homo stans correptus fuerit, toto paroxysmi tempore sibi relictus stabit; Si progressurus, pes solo affixus jam jam gressum facturi speciem exhibebit: Si alii actioni intentus fuerit, jam jam executurum esse, quod meditabatur, opineris, v. c. scripturiens manu ad atramentarium porrecta, aut chartæ affixo calamo, oculisque in papyrum defixis, ac si intentius objectum adspiceret, picturus literas videbitur: Si quid apprehendere animum induxerit, manus exporrecta manebit; si fugere, fugam adornare videbitur; & quis Apelles omnem situs formam, in quo prehendi homo potest, adumbrare potens erit. Riget æger instar Marpesiæ cautis, ac si Medusam adspexisset, immotus perstat. Quidam tamen impulsivi aut manu ducti gressus aliquot faciunt, sed denuo in figura per motum acquisitâ cessante externo impulsu perstant; & membra eum situm, quem ipsis impresseris pertinaciter retinebunt; respiratione, pulsu, sanguinis circulatione cæterisque motibus ad vitalem spectantibus œconomiam salvis, aut parùm saltem læsis.

§. XIV.

Subiectum hujus affectus seu *partem* principaliter affectam non aliam indigitare possumus, præter *pinealem* cerebri *glandulam*, tanquam primum in corporis machina movens ac ultimum mobile, *commune sensorium*, cui mens immediatè unita in corpus voluntatis imperio agit, & vicissim ab eo motus organorum recipiendo, patitur; cujus prærogativæ cæteræ



cæteræ partes omnes incapaces, secundariò tantùm afficiuntur, utpote rigidæ ac immotæ ob solam Glandulæ immobilitatem.

§. X V.

Differentias quod attinet, alia fortis est, alia levis. *Illa* functionibus principalibus, sensibus tam internis, quàm externis, motuque animali ablatis, solam œconomiam vitalem, pulsus videlicet ac respirationem aliquò usque ferè intactam relinquit. Talem casum Francobergæ Hassorum in quodam observatum refert *Adamus Lonicerus in lib. de Int. nom.* qui cum in templo aqua consecrata se adspergeret, aquam sentiens confestim congelatus ac rigidus, erectoque corpore cum flabello in manu in templo constitit, & mortuus est cum magno spectantium miraculo. *Fernelius quoq; lib. 5. de part. morb* alicujus mentionem fecit, qui, dum literis & chartis sedulò invigilaret, derepente hoc malo percussus ita quidem obrigit, ut sedens calamumque digitis premens, oculis in libros defixis studiosè legere putaretur, donec vocatus ac impulsus omni sensu motuque carere deprehensus fuit. *Hæc* verò vitalibus functionibus illæsis, animales cum percipiendi facultate non omninò tollit: quâ affectus fuit Galeni condiscipulus quidam, qui sicut stipes rigidus, in paroxysmo ea quæ dicebantur audivisse se, quanquam non clarè ac distinctè, afferebat, nonnullaque eorum memoriâ adhuc retenta post enarrabat, testante *Galeno lib. 1. prorrhet. Comment 11. part. 56* | Et *Fernelius* citato loco alius leviter correpti meminit, qui, ori quæ ingerebantur, deglutiebat, quamvis nec audiret, nec cerneret, nec compunctus sentiret quicquam; è lectulo sublatus stabat, impulsus incedebat, & membra quocunque modo disposita in quovis situ retinebat constanter.

§. X V I.

E propositis patet Catalepsi à morbis soporosis, caro, apoplexia, comate & cæteris longè diversum esse affectum,

B 2

& in



& in illorum classe nullatenus stare, ut putarunt plerique recentiorum non minus, quam veterum Medicorum, cum hic non dormiant ægri, quamvis dormire videantur, sed vigilent, licet nihil vel parum percipiant seu sentiant. At quæritur, ad quodnam morborum genus sit referenda? Respondeo, ad Convulsivorum, & dico nihil aliud esse quam particularem epilepsiam *Conarj* seu *Glandula pinealis*, quæ ob funiculos nerveos, quibus suspensa est, *secundum th. VII.* æque spasmò affici potest, licet rarius, ac organa respirationis in asthma & incubo, mesenterium in colica &c. quæ veritas non minus ex curandi methodo, quam causis nunc enumerandis patebit. Prout eam *Clariss. Praeses in Colleg. Practico & Institut.* docuit.

§. XVII.

Causam itaq; *proximam* indagans tot ferè reperio opiniones, quot Autores, qui de Catalepsi aliquid prodiderunt. *Galenus* cum sua turba cerebri intemperiem frigidam ac siccam seu melancholicam accusabat; Indeque illud cum annexo nervoso systemate, spiritusque frigore constringi, iisque quasi congelatis, musculorum systema & membra omnia rigescere cum motus sensusque ablatione putabat. Sed repugnant huic omnia ferè Catalepsios phænomena; dum corpus naturali calore perfusum manet, respiratio & proinde etiam sanguinis circulatio illæsa perstant, tubulosaque nervorum & musculorum compages tota satis inflata ac irradiata ad ultimum ferè vitæ articulum usque permanet: Et quis tantum in corpore humano frigus concipere poterit, quò partes fluidæ obrigescerent, quamdiu vel ulla vitalis functio superstes est. Magni nominis Doctores *Sennertus* atque *Riverius* & alii spirituum animalium coagulationem seu congelationem, non ab intemperie frigida, sed à vapore maligno, sulphureo, vel narcotico, qualis in fulmine reperitur, provenire tradunt; suæque opinioni veritatem probabilem addere satagunt. exemplo octo messorum ex *Cardan. histor. lib. 8. de variet.*

rer.





rer. cas. 43. p. 164. qui sub quercu cœnantes & fulmine tacti
in eo omnes situ reperti fuere mortui, quem quisque ictus
momento habuit, sic ut hic edere, ille ad patinam manum
porrigere, iste labiis poculum admovere & sic porrò depre-
hensi fuerint. Sed obstant huic sententiæ eadem sympto-
mata quæ priori, præsertim pulsus & respiratio cæterique a-
ctus vitales residui. *Cartesiani* causam hujus affectus proxi-
mam rectè quidem in glandula pineali, ceu primo moven-
di, ultimoq; motus recipiendi organo quærunt; sed non minùs
erroneè, quàm Galenistæ & alii judicant, dum obstructio-
nem unius alteriusve lateris Glandulæ ab humore viscido
accusant; utpotè quæ ipsorum hypothesis cum hisce præ-
sertim phænomenis pugnat, puta, inflatione seu irradiatione
& actuazione nervosi musculosique systematis ac organo-
rum sensoriorum, sic ut nequidem dormiant *prehensi*, sed vi-
gilent, quamvis non sentiant, de quo phænomeno infrà: Si
enim spirituum animalium fons & scaturigo occlusa esset,
quæ illorum effluxus & scaturitio in subjecta cerebro mem-
bra fieri vel continuari posset? Si Glandulæ obstructio la-
teralis tantum est, quæ ergò fit, quòd non alterutrum tan-
tùm, sed utrumque corporis latus æqualiter sit affectum; &
quomodo ab apoplexia, vel hemiplegia, aliisve soporosis af-
fectibus differret catalepsis, à quibus tamen ipsam toto cœlo
diversam esse docet thes. 16, cum sic utrobique fontis spi-
rituum esset obstructio; ut alia sicco pede brevitatis ergò
præteream. Veriùs autem prima fronte sensisse videtur
Quidam Cartesianorum, qui deprehensâ insufficientia hy-
potheseos de laterali glandulæ obstructione autumabat in-
fonte substantiâ Conarii, saltem funiculos ejus, vel ipsam
Glandulam circum circa à pituita viscida forte fortuna ex
nimis patulis plexus choroidei poris unâ cum spiritibus ef-
fusâ obsessam esse. Verùm enim verò, quis non videt hanc
conjecturam iisdem premi difficultatibus, quibus prior?
Cur enim affectum soporosum inde non accerferem potius,
quàm




quàm catochen? Quomodo per tam densum materiæ viscidæ diluvium continuabitur radiosa spirituum animalium vibratio, & inde pendens membrorum vigor? Nec etiam Magnorum quorundam Virorum sententiæ subscribere possum, qui cerebrum in hoc affectu spiritibus vacuum & flaccidum, & contra nervorum musculorumq; systemata inflata atq; tensa esse putant, & sic Catalepsi pro apoplexiâ inversâ habent, Cum nemo non videat, hanc prætensam cerebri atoniam, & cæterarum partium tonum esse *ἀσύγαρα*; quis sibi persuadebit, hæc inferiora radiis illustrata esse, sole denso nubium agmini involuto, aut luce sua orbato?

§. XII X.

Sed missis Aliorum opinionibus, nostram de Catalepsios causa proxima sententiam nunc promam. Cumque thes. 14. Glandulam pinealem pro parte primariò affecta posuerim, ipsamque Catalepsi in convulsivorum morborum ordinem retulerim; dico, causam hujus affectus proximam esse Glandulæ pinealis *rigiditatem*, seu *immobilitatem* ob funiculorum nerveorum à Cl. Sylvio detectorum, quibus suffulcitur, conf. thes. 7. *spasmodum* seu *convulsionem tonicam* plus minusve fortem; prout hanc causam Cl. Praeses Dissert. de mentis sede thes. 28. uno verbo indigitavit, & in Collegiis manuscriptis latius deduxit. Ut verò omnem dubitandi occasionem Lectori præscindam, demonstrabo omnibus præcipuis phænomenis hujus affectus clarè & distinctè explicandis vel salvandis sufficientem esse hanc assignatam causam.

§. XII X.

Corpus igitur i. ad instar statuæ *rigidum stat, sedet*, aliamve posituram & membrorum dispositionem per totum paroxysmi tempus habet: Quia spiritus animales illam motus determinationem, quam invasionis momento habuerunt, constanter retinent, quamdiu *conarion*, ceu *primum movens*, conf. thes. 6. 7. 8. & 9. manet rigidum spasmoque affectum; adeoq; ad mutandam spirituum determinationem, tollendumque æquilibrium spirituum in musculis antagonistis vid. th. II. ac exe-



ac exequendum mentis iustum inidoneum; haud fecus quam aqua aut ventus è fontibus artificialibus vel anemiis versus eandem plagam constanter scaturit aut spirat, donec tubulorum vel fistularum inclinatione determinatio fluxûs eorum mutetur. Inde 2. corporis statua à causa externa impulsaeousque *progrreditur*, quousque se vis illa externa extendit, ut patet ex ultimo *Fernelii casu thes. 15.* adducto. Etenim illud spirituum animalium in musculorum antagonistarum tubulis æquilibrium, de quo thes. XI. ab impulsu externo auferitur, ut spiritus nunc in hunc, mox in alium muscolum oppositum per memoratos thes. XI. canaliculos confluant, motumque efficiant, qui tamen mox rursus cessat, cessante viz. illa vi externâ. 3. universum corpus cum omnibus sensoriis satis *inflatum*, nec atoniæ nota durante paroxysmo in eo observabilis est: Cum enim nullus adsit spirituum defectus, vel ob cordis pulsûm, sanguinisve ad cerebrum motum interceptum; vel ob plexus choroidei vid. thes. 4. obstructionem; vel pororum Glandulæ occlusionem, quippe quæ solo immobilitatis vitio laborat, cætera sana; vel tubulorum cerebri, de quibus thes. 5. infarctionem; liquet, his partibus subjectum corpus satis irradiatum tensumque manere. Quis enim concipere poterit, hæc inferiora caligine involvi posse, quamdiu sol macrocosmi, licet immotus & fixus in meridiano cœli sereni, ut Jos. cap. 10. vers. 13. factum legimus, staret? Quis ergo concipiet, inferiora microcosmi obtenebrari, quamdiu ejus sol, *Glandula*, quamvis immobilis, vividos spirituum radios ad ea vibrare potest? Hinc 4. liquidò constat, *prehenso* non dormire, ob sufficientem ventriculorum cerebri, de quibus thes. 7. à spiritibus animalibus inflationem, vigentemque omnium sensoriorum irradiationem, in qua vigiliæ status consistit, ut rectè *Cl. de la Forge ad Tr. de Hom. des Cartes part. 5. art. 101.* notat: Quamvis interim 5. in *forti* affectu nihil sentiant, ut ex thes. 15. in primo *Fernelii casu* apparet; vel parùm in *levi* percipiant, prout ex

Galenus



Galen historia thes. 15. videre est: Quandoquidem ad sensationem non sufficit, sensoria à spiritibus animalibus è Glandula versus ea scaturientibus satis esse irradiata & actuata; & vicissim motus in sensoriis ab objectis sensibilibus excitatos ad commune sensorium usque protelari, sed insuper necesse est, ut Glandula prematur, horumque motuum impressiones seu ideas recipiat, conf. thes. XI. ut mens Glandulæ immediatè unita secundùm thes. 8. percipiendi occasionem inde accipiat. Cùm autem Glandula prehensionis tempore instar durissimæ petrae immobilis, adeoque istarum idearum prorsus incapax sit, facile liquet, illud inter corpus & animam *agendi patiendique* commercium, de quo thes. XI. actum est, cum omnibus functionibus principalibus cessare. Huic demonstrationi si addamus 6. *modum* invasionis paroxysmi ob subitaneum & quasi explosivum spirituum influxum in funiculos Glandulæ nerveos *repentinum ac improvisum*, qualis invasio paroxysmorum epilepticorum esse affolet, & tandem *methodum curandi* catalepsin tam in paroxysmo, quàm extra eum cum *epilepsia* cura ex omnium practicum consensu coincidere, nemini amplius de sententiæ nostræ veritate dubitandi causa relinquatur.

§. X X.

Inter causas remotas *antecedens* seu *προηγυμένη* est tenera partium cerebri & præprimis Glandulæ ejusque funiculorum nerveorum textura, spirituumq; animalium dyscrasia acido-acris, austera, & talis quoque sanguinis aliorumque humorum intemperies. In *procatarcticarum* causarum classem referri possunt, aër gas sulphureo, mercuriali, antimoniali aut simili inquinatus, quod prædictos Glandulæ funiculos vitiosa textura laborantes in spasmodicas contractiones cogere potens est. Hinc etiam lucubrationes in seram usque noctem continuatæ non tantùm propter vigilias nimis protractas, & profundam meditationem conjunctam, quatenus Glandulam cum spirituum radiis versus eos cerebri tubulos, qui



qui objecti vestigia continent, & cogitationis impressiones recipiunt, pertinaciter directam aut defixam servat; sed etiam ob aërem fumo candelarum sulphureo inquinatum accusari possunt. Vita sedentaria, quia corporis ventilationem ac insensibilem diapnoën sufflaminat, ad hoc malum disponit: unde ratio dari potest, quòd hic affectus frequentius viros doctos literis nimium invigilantes & valde meditantibusprehendisse legatur, quàm alios. Alimenta cacochyma, & præsertim vinum acidum, austerum, cæterique tales potus suum conferre symbolum possunt. Affectus verò animi vehementiores primum in harum causarum ordine locum occupant. Certè admiratio profunda, & præsertim stupor, quia animam subito occupat, ac in consideratione objecti extraordinarij nimis attentam pertinaciter detinet; indeque efficere potest, ut spiritus, qui sunt in cavitatibus cerebri suos cursus capiant versus locum, in quo est impressio objecti quod miramur, ut eos omnes quandoque eò impellat, efficiatque, ut adeò sint occupati in conservanda hâc impressione, ut alii nulli inde in musculos trans-eant, aut ullo modo deflectant à primis vestigiis, quæ secuti sunt in cerebro, sicque totum corpus immobile instar statuæ reddat, vide *des Cartes Tr. de pass. anim. p. 1. art. 70. & 73.* cum Catalepsi cognationem non parvam habere videtur. Et admirationis vi conjunctæ aliæ passiones fortiores sc: amor, averfatio, desperatio, consternatio &c. Catalepsin inferunt. Amoris cum desperatione exemplum refert *Tulpius libr. 1. cap. 22.* de juvene Britanno impensius amori indulgente, qui ex inopinata repulsa matrimonii catalepticus factus est, cum verò illi acclamaretur cupitam habiturum amicam, actutum ad se rediit & profiliit. De puella 15. annorum ex errore & averfatione cataleptica facta mirabilem historiam recenset *Rondeletius Meth. curand. morb. lib. 1. cap. 20.* Ea juveni, quem parùm amaverat, nupta, sed per octiduanam cum marito cohabitationem catalepsi correpta & propterea

C

in




in patris domum recepta, absente marito, & quoties de eo non cogitabat, sana vivebat, viso autem eo, ejusve nomine audito, statim corripiebatur; Quod si in via hydriam gestans mariti recordaretur, actutum prehensa in eo situ instar larvatae statuae per aliquot horas remanebat, ore ac oculis apertis, sine sensu & motu, nisi quod muscoli abdominis & costarum notharum multum moverentur: Erat autem melancholica. Unde ex rerum praeternaturalium classe affectus hypochondriacus, scorbutus, lumbrici, obstructions haemorrhoidalium vasorum, mesenterii, uteri &c. suum symbolum huc conferre possunt.

§. X X I.

Ordo communiter receptus ad *signa diagnostica* nunc nos ducit; sed cum haec ex *th. XIII & XIX.* satis innotescant, hic illa denuò recensere supersedeo, ne crambem bis coctam offeram, & sic in censuram *Cl. Bontek. in nov. edifio. Chirurg. part. 3. cap. II.* impingam. Quam ob causam quoque formalem definitionem Logicam studio omitto.

§. X X I I.

Prognosis quod attinet; periculo haud vacat hic morbus ob partem nobilissimam affectam. *Fortis catalepsis in mortem* desinit plerumque, cum Glandulae textura ob fortem spasmum diutius afficientem planè destruat, funiculorumque nerveorum tonus prorsus pereat. Quod si saepius recurrat paroxysmus in *epilepsiam universalem* vel *fatuitatem* desinere solet *Catalepsis*. Fiunt autem *catoche correpti Epileptici*, quando materiae convulsivae vel intensior motus, vel quantitas non solum in funiculos, sed omnes etiam cerebri tubulos irruit, nervorumque filamenta concutit & irritat. *Fatuitas* succedit, si particulae convulsivae saepius infestando, funiculos ita laxos, & Glandulam tam mobilem reddunt, ut haec ad levissimam etiam spirituum animalium motum huc illuc vagetur; quo fit, ut diversissimorum objectorum ideas male cohaerentes uno momento recipiat; ad
quas.



quas mens dum satis curatè aut distinctè attendere non potest, in iudicia incongrua præcepit ruit: Unde incurabilis fatuitas.

§. X X I I I.

Expositâ theoria ad *praxin* accedo. Duplex verò curandi methodus hîc obtinet; alia in *paroxysmo*, alia *extra eum*. In *paroxysmo* eò annitendum est, ut spasmus funiculorum Glandulæ demulceatur, & huic mobilitas restituatur, quæ indicatio obtineri potest 1. *frictionibus fortioribus* panno asperiori spiritibus volatilibus, sc: formicarum, c. c. sal. armon. &c. imbuto in vertice & nucha: *Extremorum vellicationibus durioribus*, fortè etiam *cucurbita* cum multa flamma vertici raso imposita, quam *Platerus* in Apoplexia commendat, hîc proderit; sic & cauterium actuale, præsertim ex moxa vertici vel nuchæ applicatum haut inutile erit. 2. *Temporum, pulsuum regionum & naribus* applicentur *balsama*, apoplecticum, rutæ vit. Schröder. item *Olea destillata*, sc: caryophyll. succin. castor. &c. & spiritus magna vi elastica pollentes, v. c. spir. c. c. liquor c. c. succinatus, sp. sal. armon. falsus, urticæ min. fuliginis & similes castoreo maritati. 3. *Sternutatoria* ex helleboro albo, nicotiana, majorana, fl. lilior. convall. aliisque cephalicis cum fructu adhiberi possunt. 4. *Palato* affricetur balsamus vitæ Schröderi, & ori infundantur *potiuncula* ex *aquis epilepticis*, viz: hirund. c. castor. hysteric. c. castor. meliss. compos. lavend. pæon. &c. composiæ, & *spiritibus volatilibus oleosis*, v. c. sale vol. *Notiss. D. D. Dolæi Serenissimi Hassie Landgraviæ Archiatræ Primarii, Patroni mei aternùm Colendi*, quod hoc in casu valde commendat, nobilitatæ: Non omittit tandem *clysteribus fortiter stimulantibus*, post præmissum emollientem.

§. X X I V.

Extra *paroxysmum* medendi methodus respicit causas remotas; ideoque 1. Cerebri & imprimis Glandulæ, ejusque funiculorum diathesis laxa ac tenera corrigenda erit partim *cephalicis, spirituosiss, ac sale volatili, imprimis oleoso, præditis*: nec

C 2

minùs



minus spirituum animalium ac sanguinis discrasia partim
absorbentibus appropriatis *antispasmodicis*: Qualia ex triplici
 Regno præcipue sunt: Rosmarinus, salvia, serpillum, radi-
 ces pæoniæ, valerian. sylvestr. flores tiliæ, lil. convall. vi-
 scum querc. corylinum, tiliaceum, antophylli, aliaque aro-
 mata; Cranium humanum, c. c. ungula alc. spiritus sangui-
 nis, cerebri & secundinæ hominis, castoreum, unicornu ve-
 rum & fossile, stercus pavonis; Cinnabaris nativa & ♂ii,
 corallia, succinum &c. indeque concinnati pulveres, v. c.
 cordialis pretiosus, specif. cephal. D. Michaëlis, Marchio-
 nis &c. Liquor c. c. succinatus; Aqu. epilept. Langii, ce-
 phal. Caroli V. hirund. cum castor. &c. ☉ volat. oleof.
 Sylvii. Inter ♂lia Tinctura ♂tis pomata, cydoniata, pulv.
 bezoard. ♂alis & tandem acidulæ eminent. Si ventriculi
 cruditas acida adsit, aut affectus hypochondriacus, scorbu-
 tus, mensium vel similis obstructio affectum foveat, conve-
 nient præter prædicta, imprimis salia volatilia, absorbentia
 ♂lia, *purgatione*, *duo*. institutæ tartaro Emetico, vel sale vi-
 triol. vomitiv. & *ndro*, pilulis de galbano, vel ammoniaco
 similibusve excitatæ: *Cucupha* & *Emplastra cephalica*, qualia
 sunt Empl. Epilept. Craton. Schröd: & aliorum non sine
 fructu capiti applicabuntur; sic & *balsama* & *spiritus* v. c. l'Eau
 de la Reine d'Hongarie &c.

§. X X V.

Ex Chirurgia V. S. per se non indicatur, nisi plethora
 urgeat, quo in casu per accidens conferre potest; quod de
 scarificatione quoque sentiendum. Vasorum sedalium a-
 pertio, si affectus hypochondriacus vel scorbutus malo an-
 sam dedit, magis directè causam respicit. Sic etiam vesica-
 toria, cauteria & setacea debitis locis applicata, quatenus
 lympham irritativam à parte affectâ avertunt; sanguinem
 ac spiritus depurando.

§. X X V I.

Ratione *dietæ* Catalepsi obnoxius degat in aère puro,
 te. n.



temperato, & suffumigiis cephalicis subinde correcto. Alimenta sint euchyma & cupepta, vinum purum, anthosatum, salviatum, serpillatum, simileve modicè haustum conducit. Cætera mediocritatem non excedant; & cautè illud vitetur diætæ genus, quod supra thes. XX. atro lapillo notatum videmus. Tantum. DEO O. M. sit Laus, Honor & Gloria in sempiterna Secula!



Corollaria.

I.
Anima conjuncta est toti corpori.

I I.

Non tamen est tota in toto corpore, nec tota in qualibet ejus parte.

I I I.

Nulla substantia est idoneum vinculum ad conjungendas hominis partes, animam sc. & corpus.

I V.

Medicus curare potest mentem per corpus; & vicissim corpus per mentem.

V.

Muhammedem eo tempore quo cum Angelo colloquium simulabat, non Epilepticum, sed Catalepticum fuisse judico.

V I.

Mensurum universale, quale liquor alkabest esse pretenditur, dari, impossibile est.

V I I.

Transmutatio metallorum natura viribus impossibilis non est.





AD
Nobilem ac Pereximium
Dominum Candidatum
R Ö S E R.

Laboriosam sementem læta sequitur messis. TU Nobilis ac Pereximie Dn. CANDIDATE in diversarum Academiarum Seminariis optimarum Artium, præsertim Nobilissimæ Medicinæ, Studiis invigilasti, & plus olei quàm vini consumsisti. Orthodoxæ religionis & fidei fundamenta sub informatione Celeberrimi D. GANTESVILLERI in Illustri Academia *Tentoburgica* jecisti. Philosophiæ & universæ Medicinæ cursum in Hæc ERNESTINA feliciter absolvisti. Tandem in Regia *Hafniensi* sub fideli Professorum per totum Orbem Celebrium D. D. OLAI BORRICHII nunc beati, CASPARIS BARTHOLINI, OLIGERI JACOBÆI manuductione, Chimiæ, Anatomiam, cæterasque Scientiæ Medicæ partes excoluisti: Et sic non vulgaria, sed solida Philosophiæ atque Medicinæ TE jecisse fundamenta, præsens demonstrat Inauguralis de *Catalepsi* scripta Disputatio, quem affectum nemini explicare, omnibus verò mirari hætenus concessum fuit, ejus causâ profundè in Democriti puteo delitescente, quam TU nunc felici conatu in apricum produxisti. Fecisti ergò bonam sementem, quam nunc læta excipit messis, dum per hoc eximiæ eruditionis Tuæ specimen adspiras ad summos in Medicina Honores, mox Tibi
confe



conferendos. Gratulor igitur TIBI ex animo Doctoralem
Lauream, quæ brevi Tua cinget tempora.

DEUS O. M. benedicat ex alto praxeos Medicæ se-
menti, quam posthâc facies, ut proximus æger solatii & sa-
nitatis, TU verò gloriæ, opum & bonæ conscientiæ, quæ
bonum palmarium est, lætam lautamque messem, in DEI
Honorem & Reipublicæ commodum faciatis.

Dabam è Museo D. 6. Novembr,
1692.

PRÆSES.



DUm Cathedram lætus scandis, Doctissime Röser,
Hinc me cogit amor, quo bona verba canam.
Gratulor ergò novo Tibi de virtutis honore,
Sis spes ægrorum præsidiumque bonum.
Vive diu *Nove Doctor*, spes Patriæ atque Medentium
Delitium, cœptis annuat usque DEUS.

Cassellis die 17. Octobris.
Ann. 1692.

Pauca hæc Nobilissimo ac Do-
ctissimo Dn. CANDIDATO
gratulabundus adposuit.

Johannes Dolæus,
Med. Doct. Serenissimi Hassiæ
Principis Consiliarius ac Ar-
chiater Collegii Medici Cassel-
lani Decanus perpetuus.

Ad



AD CLARISSIMUM & PEREXIMIUM
Virum Juvenem

D N.

DN. JOHANNEM
RÖSERUM,

Solidioris Medicinæ CANDIDATUM

Pro summis in Medicinâ Honoribus de Catalepsi disputantem.

Per Anagramma.

UT ROSA. &c. SIC RÖSER &c.

Sicut odore suo superat reliquos *rosa* flores.
Röser sic doctis cedere vix poterit.

Explicat affectum, veteres quem non penetrârunt,
Occultâ fiat quòd ratione ferunt.

Nobilis ut præbet nobis *rosa* pharmaca multa;
Sic *Röser* causas perspicuas aperit.

Quo pede coepisti, pergas, nec desit, amice,
Qui possit laudis Te cumulare *rosis*.

*Paucula hæc gratulabundus in verè
verissima amicitia signum depo-
nebat*

Johannes Wilhelmus
Seibelius, solidioris Med.
Studiofus Palatinus, Op-
ponens.




01 A 6559

ULB Halle

3


002 936 151



Sb.

V8 17







35
Auspicio summi Archiatri,

Indultu & Autoritate

GRATIOSISSIMI in hac ILLUSTRIS ACADEMIA
MEDICORUM ORDINIS
PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO atque EXPERIENTISSIMO
D N.

JOHANNES GERHARDO
WINTHER,

Philos. & Medicinæ Doctore, Hujusque & Physices
Professore Ordinario, h. t. RECTORE Academiæ, & Facultatis
Medicæ DECANO Spectatissimo.

Præceptore atque Promotore suo ætatem venerando.

H A N C

De Admirando illo Affectu

CATALEPSI,

Disertationem Inauguralem

M E D I C A M

PRO SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS & PRIVILEGIIS DOCTORA-
LIBUS RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS

Publicæ

Amplissimi Senatus ACADEMICI aliorumque

Eruditorum disquisitioni subjicit

IN AUDITORIO MAJORI.

Die 11. Novembr. horis ante & pomeridianis Anni 1692.

JOHANNES RÖSER,

Smalcaldensis Hassus.

RINTHELII, Typis GODOFREDI CASPARI Wächters/ Acad. Typogr.

